

CANCELL:
MARTIS B.
1717:

25

DISSE
NTAT
IO PHILOLOGICA
DE
EMPHASI VERBI
ΣΠΛΑΓΧΝΙΖΟΜΑΙ,
ad Marc. VIII. 3.
QUAM
AMPLISSIMI COLLEGII PHILOSOPHICI
IN ACADEMIA LIPSIENSI
CONSENSU
P R A E S I D E
M. CHRISTIANO SCHOETTGENIO
DEFENDET
A. & R.
ANDREAS BÜTTIG
SPORBIZENS. MISN. PHILOG. & THEOL. STUDIOS.
D. XII. NOVEMBR. 1712.

LIPSIAE,
LITTERIS IMMANUELIS TITII.

V I R O

Illustri, Magnifico atque Excellentissimo,

D O M I N O

IO. GEORGIO BOERNERO,

JCTo celeberrimo, Augustissimo ac Potentissimo Regi
Poloniae, Serenissimoque Saxoniae Electori a consiliis aulicis, & justitiae
supremique Consistorii Adfessori gravissimo:

nec non

FILIO TANTO PARENTE DIGNISSIMO,

V I R O

*Magnifico, Plurimum Reverendo, atque
Excellentissimo,*

D O M I N O

CHRISTIANO FRID. BOERNERO,

Theol. Doct. celebratissimo, ejusdemque P.P. extraord.

nec non Græcarum atque Romanarum literarum ord. Collegii
Maj. Principum Collegiæ, atque Bibliothecæ Paullinæ Praefecto
spectatissimo,

Mæcenatibus, atque Patronis suis etatem colendis,

Hasce qualescumque Academicas primitias, tanquam perpetuum bona,
gratæque mentis monumentum, ea, qua par est, pietate, mentisque
veneratione,
sacras esse jubet

cultor devotissimus

ANDREAS BÜTTIG.



S. 1.



Uando sacri novi federis scriptores tenerimum
fospitatoris nostri amorem, quo genus huma-
num prosequitur, delineare volunt, verbo
σπλαγχνίζομαι uti solent. Quum igitur hoc
ipsum verbum, quod quidem plurimi divina-
rum litterarum interpres prætermittunt, mul-
tum habeat ponderis, haud inconsultum fore
duximus, si illius vim quam maxime intentis
oculis, ut ajunt, contemplemur. Monemos autem Lectorem benevo-
lum, nos in iis, quæ de affectuum sedibus dicenda erunt, antiquorum am-
pliæ sententias. Haud enim nos, ne falcem in alienam messem immitt-
tere videamur, hanc litem componemus, quæ inter veteres & recentiores
deprehenditur, id potius agentes, ut ex antiquorum monumentis ea, quæ
huc videntur pertinere, adferamus. Quum tamen pleraque antiquorum
de his rebus placita a sacris scriptoribus comprobata videamus, non plane
nihil illis utique tribuendum esse censemus.

S. 2.

Vox ergo *σπλαγχνίζομαι*, quæ solum in sacris litteris occurrit, *από τῶν σπλαγχνῶν* deducitur. Vox autem *σπλαγχνεῖ* varias admittit si-
gnificationes. Inprimis vero sumitur pro iis partibus, quæ maxime ex-
stant atque eminent, quales sunt, cor, jejunium, pulmones, & his similes. Julius
Pollux 2. 181. *σπλαγχνας ἐγκριτικαὶ καλέστοι* i. e. visceris intestina vocan-
tur. Hesychius: *Σπλαγχνας, πτοεις, γυμνας, καὶ τὰς ἔντος τῶν ζώων.*
Circa quæ verba notamus sequentia. Primum vox *πτοεις* redolet glos-
sam, nisi cum Viro Nobilissimo Casp. Barthio in Guilielm. Britonis Phi-
lippid. 11. 206, statuere velimus, ea apud poëtas omnia visceris designari:

A 2

Deinde

Deinde vox *σύντοτα* tantum pro iis corporis humani usurpatatur partibus, de quibus jam diximus, quod ipsum firmat idem Hesychius, *ἐγνωτα* interpretans ἐτέρα. Adeoque geminam vult esse τὸν σπλάνχνων significationem, quod nimur generatim notet τὰ δύτες τὸν Σωματ. h. e. ea omnia, quae intus sunt in animalibus, (quo referendus est ex Latinis Matornis locis Eneid. I. 215. ubi vide Grammaticorum doctissimum Servium, & Nobilissimum Barthium ad Statium Theb. I. 522.) speciatim vero eas partes, quales sunt cor, jecur, pulmones, lien &c. de quibus jam antea diximus. Conf. Aristoteles de partibus animalium 3. 4. s. & Ruffus Ephesius de partibus corporis humani p. 28. Et haec posterior significatio quam maxime ad nostrum σπλάνχνων pertinet. Viscera enim sunt, quae in excitandis affectibus utramque faciunt paginam, præcipue illæ partes, quibus res est cum sanguine, quales sunt cor & jecur. Videbimus igitur, quænam de his auctorum sint sententiae.

S. 3.

Primas ergo inter τὰ σπλάνχνων partes sibi quasi jure quodam cor vindicat, quia secundum sagacissimum naturæ interpretem Aristotelem de generatione animal. 2. 6. & de juventute & senectute c. 3. cui addere Ruffum Ephesium I. supra c. Plinium H. N. 11. 37. & Lactantium de Opib. Dei 12. 6. primum in utero formetur. In hoc veteres varijs posuerunt affectus, quod ex eo factum est, quoniam calor suam quam maxime in eo habet sedem. Aristoteles de partibus animalium 3. 7: νοσοδοσ καὶ ἡπαρ ἀπεισοι αἰναγμέναι τοῖς ζῷοις. οὐ μὲν διὰ τῆς θερμότητος ἀερίν (διὸ γὰρ εἶναι τοις οἷον ἐστιν, ἐν ᾧ κείστερη τῆς φύσεως τὸ ζωτικόν, νοσή τέτο εὑρύλαυκον, ὥσπερ ἀκρόπολις θόσα τῇ σώμαστι) τὸ δὲ ἡπαρ τῆς πτερεως ζόρην. i. e. cor & jecur omnibus animalibus sunt necessaria: alterum propter caloris originem: (locum enim adesse aliquem, quasi lares, sicutcumque oportet, quo naturæ somites, & primordia ignis nativi continentur, & serventur, eundemque tutum esse, veluti arcem corporis totius, necesse est) alterum, jecur dico, cibi concoquendi gratia adest. Et Ruffus Ephesius I. c. οὐ δὲ ἀερίν, ait, τὸ θερμόν, καὶ τὸ ζήν, νοσή τὸ σφόδρα, νοσοδοσ i. e. principium caloris, vite & palpitationis est cor. Immo Stoici atque Peripateticī omnem rationis vim, & animæ principatum in corde collocarunt, omnium id in homine functionum atque officiorum initium esse censentes, quanquam inter se haud raro doctretis pugnant: Vid-

Vid. Andr. Vesalius de humani corporis fabrica 6. 15. pag. 741.
 A corde vero sanguis suum accipit calorem, de quo medicorum principes Hippocrates sect. 3. de corde p. 52, edit. Francof. 1595. & Aristoteles de partibus animalium 2. 3. Unde huic ob nativum suum calorem amoris sedem tribuunt. Eleganter Achilles Tatus de Clitophonitis & Leucippes amoribus l. 6. p. 401: Θυμὸς δὲ νοῆ ἔρως δύο λαερτίδες ὁ μὲν γαρ παροξύνει μισθν., ὁ δὲ αὐτόγνητος φρενίκος σὺλληλων περιεσθίας οὐ τέ πυρός εἴη πηγή. ὁ μὲν γαρ εἰς τὸ ἕπασε καθάπτει. ὁ δὲ τὴν καρδίαν περιβέβληται, i. e. *ira arque amor faces animi duo sunt - altera odio, altera benevolentia prosequi cogit.* Vicina etiam utriusque eorum ardoris sedes εἰσ: ille enim in jecore, hic in corde inbabitat. Non solum autem amorem, sed etiam irascibilem vim cordi vindicant plurimi, inter quos Platonici primum obtinent locum. Huc ea referas Alcinoi de doctrina Platonica c. 17. p. 496, 497: Τὸ δὲ παθητικὸν τῆς ψυχῆς πατωτέων ἐποίησαν, (scil. diti) τὸ μὲν θυμικὸν περὶ τὴν καρδίαν, τὸ δὲ ἐπιθυμητικὸν περὶ τὸ ἕπασεν καὶ τέσσερας περὶ τὸν ὄμφατὸν τόντος, h. c. *tas vero partes anime, que perturbationibus moveantur, inferiori colloccarunt loco.* Irascendi vim in corde, concupiscenti circa abdomen, easque, que umbilico partes vicine sunt. idem c. 23. p. 503, 504: ὑπέθεσαν δὲ (scil. diti) τὸ ἀλλοσῶμα πέρος ὑπηρεσίας, ὡς ὅχημα προσφύσαντες, καὶ ἀντοῖς δὲ θυμοῖς αὐτῆς μέρεσιν οὐκοντινοῦ ἀλλοῦ ἀλλοῦ απένειμαν. Τὸ μὲν θυμὸν ἐταξεῖν καὶ διατάξει, τὸ δὲ ἐπιθυμητικὸν ἐν τῷ μεταξύ τοπῳ τῇ τε πρὸς τὸν ὄμφατὸν ὅρον, καὶ τῇ τὸν φρενὸν παταγήσαντες, ὥσπερ τι οἰστεῖν καὶ σῆμαν θέρμαμα. Τὸν πνεύμονα δὲ ἐμπνεούσαντο τῆς καρδίας χάρου μολυκον τε καὶ σάναμον, σηρεγγώδη τε καὶ σπόργυρον παραπλήσιον, ὅπως ἔχῃ μάλασυμα πηδῶσα οὐ περδία πατὰ τὴν ζέτω τῇ θυμῷ. Τὸ δὲ ἕπασε πρὸς τὸ διεργέσεν τὸ ἐπιθυμητικὸν τῆς ψυχῆς καὶ πέρος τὸ παταγεούσεν, ὃχον γλυκύτητά τε καὶ πιερότητα, i. e. reliquum vero corpus huic ad ministerium quasi veibulum subjecerunt. Quin et duabus partibus mortalibus propria singulis quasi domum adsignarunt. Iracundie quippe in corde: cupidini vero locum medium inter umbilicum arque diaphragma: ibique eam veluti furiosum quoddam & agreste animal confrinxerunt. Pulmonem gratia cordis mollem & exangarem, fistulosum preterea spongiosaque similem machinati sunt, ut cor irae ardore nonnunquam exstans, illa quasi re-

frigeratione mitigaretur. Jecur autem ad excitandam concupiscentiam anime, rursusque ad sedandam eandem dulcedinis simul & amaritudinis particeps est. Similia sunt apud Senecam de ira 2. 19. & Petronium c. 99. Adde Aeschylus Agamenn. v. 489. Statium Thebaid. 2. 410. & quæ ibi notat Barthius. Et hanc sententiam propugnat quoque Galenus passim in suis libris, præcipue in iis, quos de Hippocratis & Platonis dogmatibus inscripsit, cor duntaxat trascibilis animæ ergastulum esse, concedens, quod & Stoicis ac Peripateticis omnibus persvasum fuit. Et hinc quando quis aliquid vehementer adpetit vel aversatur, illud in sacris litteris dicitur fieri *ex toto corde* בְּכָל־לֶב Deut. 6. 5. Psalm. 119. 2, 34, 58. s. quod in N. T. est ἐν σόλη τῇ καρδίᾳ, Matth. 22. 37. & ἐξ σόλης τῆς καρδίας. Marc. 12. 30. Luc. 10. 27. Rom. 6. 17. Plura exempla suppeditabit Noldius in Concordant. Partic. p. 151. Sic *corde amare* dixit ἐν τῷ ἔγῳ Plautus Captiv. 2. 3. 60. Illi porro, qui tota intentione Deum querunt & diligunt, dicuntur בְּשַׁרְיָהִים recti corde Psalmi. 7. 11. 11. 2. 32. 10. &c. &c de fide vera, cuius omnis intentio est, ut Deo credit, & in eo fiduciam ponat, dicitur: καρδίᾳ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην. Roman. 10. 10. Et hæc quoque causa est, cur in vernacula lingua veram & devotam orationem vocemus *herzliches Gebet, herzliche Andacht*, quia ut ea vera sit, requiritur omnis animi nostri intentio, que ab aliis speculationibus aut ideis longissime est removenda. Scripseramus jam hæc, cum incidimus in dissertationem Jo. Ludovici Hannemann, de anima, quæ Kilonii 1711. habita est, & titulum habet: *Aurea poma in argenteo vase, in cuius thesi* §. p. 30. s. prolixior est in eis describendis, quæ nos hacenus ex sacro codice petita, differuimus. Et hæc quidem de corde.

§. 4.

Quod vero ad jecur adtinet, varij varia adferunt, inter se digladiantes. Quidam enim plane cupiditatum expers esse statuunt, inter quos principem obtinet locum poëtarum princeps, Homerum intelligo, de quo v. Rappoltus ad Horatium p. 1202. Alii vero omnes omnino adfectus ipsi adscribunt, ut Galenus de locis affectis 3. 4: 5. 3. Julius Pollux 2. 227. p. 262. & Betulejus ad Lactantium de Opificio Dei 14. 7. Unde Achmet Oneirocrit. c. 84. pag. 59: πασῶν ἐπιθυμίων αἵρετο ηὐνοεῖστι. i. e. omnium cupiditatum causa jecur est. Auctor cele-

celebrum dogmatum de Anima latine a Barthio post Claudianum Mamerum editus c. 11. p. 498. cuius græca verba adducit idem ad Claudianum Poëtam de IV. Consulatu Honorii p. 619: ὅτε τῶν σωμάτων ἀχρόσιοι. Ετι μὴν καὶ ὁ θυμὸς καὶ ἡ ἐπιθυμία. Κινέ γὰρ ὁ μὲν τὸ περικόλειον αἷμα, ἡ δὲ τὸ ἄποινα. Vertit Jo. Tarinus: Ideo (vis auctrix, altrix & generatrix) non possunt a corporibus separari. Ira itidem & concupiscentia (non possunt separari). Illa enim sanguinem, qui circa cor est, commovet; illa jecur afficit. Horatius Carm. I. 25. 15. jecur ulcerosum dixit, quod idem est ac libidinis indignatione commotum, uti Acron & Porphyrius exponunt. Idem epist. I. 18. 72:

Non ancilla tuum jecur ulceret illa, puer.

i. e. vide ne ullius puellæ puerive amore capiaris: quanquam hæc duo Venusini poëta loca explicans C. Barthius ad Gulielm. Briton. 11. 206. jecur heic pro omnibus visceribus sumi contendit. Prudentius Ca- themer. 3. 179.

Gustus & ipse modum teneat,

Sospiret ut jecur incolume.

i. e. ut sine motibus ac affectibus sit. Addit eundem Peristephan. 2. 256. Horatium Carm. 4. 1. 12. & Laclantium 6. 15. 4. Omnes igitur in eo Platonicos sequuntur hujus sententia adsertores, quo referas locum supra ex Alcinoo adductum. Plura exempla e diversis auctoribus congesit Barthius ad Claudianum p. 624. Facit vero hoc etiam fabula de Tityo, cuius jecur a duobus vulturibus ob rei Veneræ cupiditatem depsecitur, de quo Homerus Odyss. 11. 575. f. Virgilius Aeneid. 6. 595. ibi Servius & Landinus, Brouckhusius ad Tibullum 1. 3. 75. & alii. Qui ex bonis auctoribus allegorice hanc fabulam interpretantur, illi dicunt Tityum omnis generis cupiditatibus fuisse immersum, earumque inde apud inferos peccatum subire necesse habuisse. Faciunt id Lucretius 3. 1006. Galenus de locis affectis 3. 4. Erhardus ad Fragmenta Petronii p. 671. edit. Burmann. quorum verba integra transcribere non est opus. Ut vero adpareat, hæc ab auctoribus non sine causa fuisse statuta, observamus etiam in sacris litteris id occurere. Sapientissimus enim Regum Salomon, quando mulierem adulteram describit, & graphicè admodum depingit, quanam ratione stultum quendam juvenem fefellerit, dicit eam tandem ipsi perfuisse, ut cupiditati ejus adquiesceret. Illa ergo mulier non cessavit

pelli-

pellicere hominem, donec tandem basta quasi & jeculo jecur ejus dis-
findere. יְפָלֹח חַז כְּבָרִי Prov. 7. 23. Fuit hæc phrasis ultra Rab-
binorum captum, quare nihil heic sani adferre potuerunt. Agnove-
runt tamen hoc ex Christianis interpretibus quidam, & inter hos Geie-
rus, ὁ μανογίτης, quem non exscribimus. Sufficit nos adnotare
scriptorum sacrum id velle, quod jecinore juvenis vulnerato ille tan-
dem vietas adulteræ voluntati manus dederit. Et hæc ipsa phrasis in
profanis quoque scriptoribus occurrit, quorum loca, quia Salomonem
mirifice inlustrant, integra adscribere non gravabimur. Anacreon
de telo Cupidinis ita, Oda 3:

Ταύτει τε νοέ με τύπτει
Μέτον ἡπαρ, ὀπηρ οἰσγ @ i.e.
Intendit arcum, & me cœn æstrus per medium jecur transverberas.
Theocritus Idyll. II. 15. de quodam amatore agens:
- - - ἔχθισον ἔχων ὑποκάρδιον ἐλυ @
Κύπει @ ἐν μεγάλοις, τῷ οἱ ἡπατὶ πᾶσῃς Κέλεμαν.
- - - hostile (pellimum) habens sub pectore ulcus
A magna Venere, quod ipsi in jecur impegit jaculum.

S. 5.

Cordi & jecinori non dubitamus adjungere renes, licet optime
sciamus, eos nihil proprie cum sanguine habere negotii, & ad τὰ
σπλέγχνα νοέ ἔξοχὴ considerata non pertinere; locum tamen ha-
bent inter τὰ ἔντερα & ἔνοπλα, quæ etiam τῶν σπλέγχνων nomine
venire supra vidimus. Cupiditatum vero sedes illis in lacris adscri-
bitur; quamvis apud profanos scriptores vix tale quidquam occurrab-
Nisi forte id velimus adsumere, e nimio rei venere usu oriri re-
num dolores, apud Cœlium Aurelianum Tard. 5. 3. quod ita quidem
interpretamur, renes in exercendis cupiditatibus, præcipue venereis,
nimium quantum desatigari, indeque morbo nephriticō esse subje-
ctos. Quod si vero, ut est apud Lactantium de opificio Dei 14. 1.
multa sunt in corpore, quorum vim rationemque perspicere nemo
nisi qui fecit, potest, certe idem de renum usu possumus adfirmare.
Multi multos ipsis in nostro corpore usus adscriperunt, unum tamen
omiserunt, quem nemo melius scivit, quam qui renes fecit. Aperuit
autem illum Deus nobis in sacris paginis, unde andacter adfirmare
possu-

possumus, cupiditatum quoque sedem esse in renibus. Probamus illud exinde, quia saepissime cum corde in sacris litteris conjunguntur, quando scilicet Deus corda & renes scrutari dicitur Jer. 11. 20; 20. 12. Psalm. 7. 10; 26. 2. Potest nimis Deus vi omnisciencie suae omnem cordis nostri atque renum intentionem pernoscere. Jam vero supra ex §. 3. constat, id ipsum cordi recte adscribi, quapropter id quoque renibus tribuendum, quia eodem sensu cum corde conjunguntur. Reliqua vero loca, in quibus renum mentio fit, optime de desideriis & cupiditatibus explicantur. Sic Jobi 16. 13. **וְסִכּוּ עָלֵינוּ רַבְנָן וְפֶלֶחָן :** Circumdederunt me magnates ejus, unusquisque eorum transfixit renes meos, & non pepercit. Heic per transfixionem renum intelligitur depressio voluntatis nostrae, & ejus rei, cuius eramus cupidi. Adeoque Jobus dicit, magnates istos, qui amici ipsius fuere, ei semper fuisse adversos, ita, ut quamcunque rem adpeteret, consequi nunquam potuerit. Eodem fere modo David Psalm. 73. 31. **כִּי וַתְחַמֵּץ לְבָבִי וְכָלֹותִי אֲשֶׁרָּתָן :** Acerbum mihi est cor meum, & ad renes meos quod adinet, pungor, h. c. male me habet, quod voluntas & cupiditates meæ ita deprimitur, quibus bonis bene, malis male volebam, ipse quoque licet bonus, pessime à quamplurimis habeor. Thren. 3. 13. **הַבִּיאָ בְּכָלֹותִי בְּנֵי אָשֶׁרָן adduxit in renes meos filios pharetra ejus, seu tela immisit in renes meos,** h. c. omne quod bene mihi placebat, & ego adpetebam, a me removit, atque sic meæ cupiditatæ acerbissimum vulnus inflxit. Porro Jerem. 12. 2. ubi impiorum occurrit descriptio, inter alia haec habentur: **קְרוּב אֶתְחָן בְּפִיהָם וּרְחָקָן מְכֻלּוֹתֵיהָם :** propinquus tu (Deus) es in ore ipsorum, sed longinquus a renibus ipsorum, i. e. Impii te quidem ore confitentur, & multa de te loqui solent, cor tamen & desiderium ipsorum a te est remotissimum. Omniscientiam vero Dei probaturus Davides, etiam illud addit Psalm. 139. 13. **כִּי אָרָח קְנִירָתְךָ לְבוּתִי :** nam tu possedisti renes meos, tu renes meos habes in tua manu & potestate, adeoque illorum desideria exactissime potes cognoscere. Digna sunt, quæ adducantur, verba Arnobii in h. l. Cum ergo dicit paenitens Deo: Quoniam tu possedisti renes meos, dicit ei: **Quia ita tibi in me nihil occultum est, ut non solum cogitata, quæ sunt in corde, consideres, sed & cogitanda, quæ sunt in renibus,**

bus, cernas tu, Domine. Ex quibus locis lucem quoque adsundere possumus Psalmo 16. 7. Loquitur in eo David sub persona Messiae, & postquam v. 6. agnoverat benignitatem Dei, quæ iphi optime proficerit, v. 7. addit; se illum propterea laudare, camque solam esse totius vitæ suæ intentionem, quam ipse etiam apud se noctu solus jacens sæpiissime secum revolvat, & vehementer cupiat. Verba sunt:
אָכַר אֶת יְהוָה אֲשֶׁר יַעֲשֵׂנִי אֶל לְלוֹת וּסְרוֹן כָּלִירְתִּי:
Benedic am Domino, qui (bene) consuluit mihi, etiam in noctibus (hoc ipsum) docent me renes mei. Nimurum si quis volet scire, cui possimum rei sit intentus, ille adtendat cogitationibus & desideriis, quæ iphi noctu in cubili suo jacenti surgere solent, tunc certe omnem sui animi intentionem facile poterit experiri. Quum ergo Davidis, & Messiae etiam, unica intentio hæc esset, ut laudarent atque celebrarent nomen Dei, nihil quoque noctu meditationes & desideria, quorum in renibus sedes est, aliud ipsis suggerere poterant. Id ipsum, quod jam proposuimus, calculo suo quoque comprobat Vir Celeberrimus Jean la Placette dans la morale chretienne 3. traité, chap. 12. p. 330. *David affeure dans un de ses Pseaumes, que ses reins l' instruisent pendant la nuit, ce qui selon tous les Interpretes veut dire, que les pensées, qu'il roule dans son esprit pendant, qu'il est couché dans son lit, lui découvrent les vérités, qui sont les règles de sa conduite.* In ultimis saltem verbis aliquid est, in quo mihi rem non satis adcurate inspissi videtur. Dicit enim Davidi noctu ea incidisse, quæ sui erant officii, quum tamen significationi rerum proprius sit, ea ipsius meditationibus incidere, quæ ipse valde adaptat. Nec ab ludunt Judæi in Pirke R. Eliefer, Breschit Rabba seq. 61. & Midrasch Tehillim ad Psalm. 1. 2. quem ipsi de Abrahamo explicant, & ad verba: **אָב לְאָז לְמֹר וּרְבָּ** *in lege ejus meditatus est die ac nocte, ita scribunt: לא תֵּחֶה לוּ מְחֻכָּן וְהִתְהַלֵּךְ לְמַר תּוֹרָה אלָז זָמֵן לוּ הַבְּרָחָה שְׁתִי כְּלִוְתָיו כְּמַן שְׁנִי רְבָנִין וְהַוְנוּ בְּנָוֹת וּמְלָמוֹת אָתוֹ חַקְמַת הָאָדָם אָכַר אֶת יְהוָה אֲשֶׁר יַעֲשֵׂנִי וְגַם Pater ipsum non informavit, neque preceptorem habuit, unde ergo didicit legem? R. posuit ipsis Deus duos renes tanquam duos doctores, qui ipsum in sapientia erudierunt; Et hoc est, quod scriptum est; Laudabo Deum &c.*

Nos

Nos licet non omnia admittamus, quæ h. l. ab iis prolatæ sunt, ita tamen mentem eorum explicare possumus, Abrahamum, posteaquam primum Deus ipsi voluntatem suam revelarat, magno ejus desiderio flagrante, omnemque cordis ejus intentionem eo tendisse, ut eam repeteret, ac ruminaretur. Qua ex re etiam noctu id ipsum, quotiescunque insomnes noctes duceret, fecisse, atque eo ipso latissimam quænam fuerit maxima animi sui intentio. Ut autem omnis desiderii, sic præcipue voluptatis sedem in iisdem conlocarunt quidam ex Patribus. Hilarius in Psalm. 138. p. 361. *in renibus voluptatis est causa.* Radulphus Ardens Dom. XVIII. post Trinit. p. 818. *Aliis castitatem precipimus, & nos renibus indulgemus.*

§. 6.

Ex his ergo constat, quantum ad affectus viscera conferant. Quotiescunque vero moventur in nobis affectus, tunc semper observabimus aliquem in visceribus motum, qui in gaudio, metu, ira & misericordia locum habet. Sic cordi in gaudio palpitatio adscribitur, apud Plautum Captiv. 3. 4. 103. ubi Tyndarus cor suum objurgat:

*Quin quiescis directum cor meum! i, ac suspende te:
Tu afflitas, ego miser vix adsto præ formidine.*

confer Mureti varias Lection. 19. 9. Idem cor in maximo & vehementissimo metu salire ac palpitare videtur, quo respicit Eustathius de Ismeniae & Ismenes amoribus l. 3. pag. 69. συναπέπτη δὲ μοι πολὺ ὁ ἔπων ἐνθύεις, καὶ τεθρόνυβηρέν οὐλοὶ ἀνενέθησα τῆς σχομανῆς, καὶ ἡμιν οὐλοὶ ἐξεσκάκισ, οὐλοὶ οὐτοῦ ἐντίτλων τὸν ὄνειρον. Πλυνὸν πατεπάλλετο μοι τὸ πεγματίδιον, καὶ τὸ ἄδματο επέργετο, i. e. hoc ipso temporis articulo quieti revulsus turbatusque, immo extra mentis terminum positus, super lectulum sedi animo insomnium revolvens. Saliebat crebro trepidum cor, maximaque spirandi difficultate laborabat. Plura si quis desideret, quæ hic faciunt, adeat Plautum in Epidic. 4. 1. 3. & in Milite gloriof. 4. 2. 96. Taubmannum ad Aulular. 4. 3. 3. & Lipsium Antiqu. Lection. 5. 15. Nec sunt hinc aliena, quæ de Arato apud Plutarchum in ejus vita p. 1040. enarrantur. Quod vero in misericordia etiam viscera commoventur, ostendit locus elegantissimus Genes. 43. 30. ubi

de Joseph ; *& festinavit Joseph רְחִמָּיו* *quia astu-
bant viscera ejus erga fratrem suum :* quæ verba non minus elegan-
ter interpretatus est Onkelos : *אֲרֵי אַהֲגָלָלו רְחִמָּוֹת*, *quoniam
conversa sunt viscera ejus.* Similia occurunt in Traditione ex do-
mo sive schola Eliæ profecta, quæ occurrit in Jalkut ad Genes. 28. II.
fol. 35. I. Verba ejus latine saltem proferemus : *Poſquam venditus
est Josephus , per integras XXII. annos ploravit (Jacobus) dicens :*
*Væ mihi, forte ego male egi, quod duas sororas duxi, aut ex divititis
Labanis vel Stickemitarum quedam in meos usus converti, adeoque
fædus illud, quod Deus mecum pepigit, irritum est.* *מֵד רְנֶגֶל גָּדוֹלָה רְחִמָּיו שְׁלֵמָה הַבָּרָה.* *Statim in gyrum conversa sunt viscera*
Dei Optim. Maxim. &c. Quo quid ad exprimendam misericordiam
summam significantius dici possit certe non video. Apud Hoseam II. 8.
ipse Deus viscera sua nobis ostendit, quando ait, se posse quidem po-
pulum Israëliticum ob peccata vastare sicut Adama & Zeboim : *verum
נְכָמָר עַל לְבִי יְהֹרֶן נִהְפַּךְ in-
& efferbuerunt miserations mea.* Kimchi cumque secutus R. ben
Melech vocem *נְכָמָר* interpretatur *circumvolute sunt*,
unde necesse est, ut ex ipsorum sententia *נִהְפַּךְ* sint σπλάγχνα οἰκ-
τιμῶν, quæ verba, ut infra videbimus, aliquoties in N. T. occurunt.

S. 7.

Quum vero omnis motio calorem secum habeat, in eaque san-
gvis circa cor velut igne supposito ebulliat, hinc quoque factum est, ut
ignis, ardor, & fax, amori, iræ, aliisque vehementioribus affectibus ad-
scriberentur. Multos hujus rei idoneos testes possumus citare; sed
quia res ubivis fere obvia est, paucis nos expediemus. Apud Æschylum in Agamemn. v. 1265. Cassandra ait:

οἶον τὸ πῦρ ἐπέξεχεται δὲ μοι.

i. e. *qualis calor corpus meum invadit.* Confer eund. in Agamemn.
v. 487. & in Choeph. v. 270. Callimachus hymn. in Apoll. v. 49. de
Phœbo,

- - οὐτ' ἔρωτι πεκουμένῳ Ἀδμήτῳ.

i. e. *amore inflammatus Admeti.* Idem Epigramm. 45. 5. ibi Bent-
lejus.

lejus. Plura in hanc sententiam Theocritus Idyll. II. 52. Eustathius de Ismeniae & Ismenes amoribus l. 2. p. 62. l. 3. p. 70, 97. l. 5. p. 189. l. 7. p. 266. l. 10. p. 390. & alibi. Ex latinis Apulejus Metamorph. l. 2. p. 25. l. 10. p. 210 & 211. ibi Jo. Pricæus. Val. Flaccus Argonaut. I. 748: 3. 664. ibi Lamp. Alardus & Jo. Weitzius. Prudentius Hamartig. v. 118. & Casp. Barthius ad Statii Theb. 2. 411. Huc applicari potest ex sacra pagina vox πυρεθία, quæ de impetuoso cordis adfectu & generofitate adhibetur 2. Macc. 14. 45: 4. 38: 10. 35. & in novo foedore hæc ipsa vox incendia carnis libidinose designat. Sic enim legimus 1. Corinth. 7. 9: οὐδὲστον γέρες ἐσι ταῦται, ή πυρεθία: melius est nubere quam uriri. v. Dan. Fesselius Advers. sacr. 2. 22. & Warlitzius de modestia scripturæ in rebus verecundis p. 84. 85. Mentio quoque heic facienda radicis כָּמָר, quæ vox cum כָּמָרִים constructeda in sacris litteris misericordiam denotat. Duo exempla jam §. 6. sunt adducta, tertium occurrit 1. Reg. 3. 26. ubi de muliere sermo est, de cuius infante vivo lis erat coram Rege Salomone. Noluit illa concedere, ut mortuus pariter atque vivus infans in partes aequales divideretur, addita caussa בְּ נַכְמָרֵךְ רְחֹמִידֵךְ עַל־בְּנֵךְ: quoniam *incaluerunt viscera ejus erga filium suum.* Ut vero mentem nostram de hujus vocis significacione aperiamus, tria notat, quæ ob vicinitatem suam sunt coniuncta. Primo quidem moveri, quo spectant ea, quæ supra §. 6. e Rabbinis adducta sunt, quibus addatur Targum Jonathan ad Hoseæ II. 8. Quum vero motioni, ut jam dictum est, adsit calor, hinc etiam est 2) *incalescere*, & eo respexerunt Rasche, Aben Ezra & Kimchius ad citatum Hoseæ locum, quem omnes interpretantur per vel יְקַרְרֵי *incaluerunt, exarserunt*, addit quoque Rasche esse אֲרָמִי significationem chaldaicam, cuius exempla evolvantur apud Buxtorfium in Lexico Chaldaeo-Talm. Ut plurimum autem, quæ calida sunt, atrum colorem habent, inde 3) est *airum esse*, quo pertinet locus Thren. 5. 10. עֲרוֹרֵנוּ כְתָנָרֵנוּ כְמָרֵךְ. *pelles nostra sicut furnus atre factæ sunt.* Inde & כְמָרִים *sacerdotes*, a pleisque vertuntur pullati, atrati.

§. 8.

Omnis istas motiones in visceribus nostris contingentes quando Hebrei describere volunt, utuntur verbo רָהַר, quod de amore summo solent adhibere. Coincidit illa cum voce רָהַר urens. Radix ergo רָהַר ex hoc ipso fonte duas habet significations *amare*, & *misereri*. Prior est communissima, quamvis tum Lexica, tum nos etiam in expositione Hebraicorum Bibliorum saepissime posteriorem ex consuetudine πατερωνασθετω soleamus adhibere. Usurpatur autem haec vox de amore significantissimo, qualis est patrum erga liberos, & Dei erga omnes pios. Nos plura loca in hanc rem possemus adducere, sed ea suppeditare potest Concordantiarum Buxtorfianarum inspectio. Non possumus tamen non unum saltem locum producere, qui magna admodum rerum pondera secum habet. Is exstat Psalmo 103. 13. כִּי־בְּנֵיכֶם רָחֲם יְהוָה עַל־וְרָאוֹ: Quemadmodum ex inimicis & toris visceribus ardet pater erga filios suos, sic & Deus erga eos, qui se timent. Illi certe qui nondum patres sunt, non intelligunt, quid sit illud בְּנֵיכֶם אֶבֶן עַל־בְּנֵיכֶם, ex iis tamen, quae praecesserunt, aliquam hujus rei ideam nobis formare possumus. Dei vero cor inspicere, & viscera misericordiae quis per scrutari audeat, nam τὸ ἔλεος καὶ τὸ ἀγάπην εἰς γενέας γενέαν τῶν φοβερῶν αὐτὸν. Lucæ 1. 50. Chaldaei porro & Talmudistæ, quibus in usu est Deum appellare variis nominibus ex attributis ipsius petitis, saepissime ipsum vocant רָהַמְנָה h. c. misericordem, gratia & amore erga nos ardensem.

§. 9.

Vox autem σπλάνχνα in significatione amoris vel misericordia, frequens quoque est in Novo Testamento, adhibeturque partim nuda, partim cum adiectione ἐδέσσι vel ἀντιγνώμ. Sic Paulus ad Philemonem v. 7. Χαρέσθαι γάρ ἔχομεν ποδὸν καὶ παρέκλινον ἐπὶ τὴν ὄψιν σε, ὅτι τὰ σπλάνχνα τῶν ἀδελφῶν ἀντικείμενοι διεσθίσθησαν, ἀδελφέ, i. e. gaudemus autem maxime, & solatio sublevamur tuo amore, quod viscera, hoc est corda sanctorum per te, frater, refecta sint. Ibidem v. 12. legimus: Σὺ δὲ αὐτὸν, τελεσί, τὰ ἔμεις σπλάν-

σπλάγχνος, προσταθήσαι, i. e. tu autem illum, hoc est, mea viscera, recipie. In quibus verbis varia potest esse interpretatio. Σπλάγχνα enim & viscera aliquando notant eos omnes, quos præ cæteris amamus, quo referendus est Philostratus de vitis Sophistarum 2. 27. de Hippodromo p. 617: Hic enim Hippodromus, cum universa Græcorum turba illum oraret, ut ipse quoque, oratione a Philostrato Lemnio habita, in medium prodiere, εἰ, inquit, ἐπαποδύσομαι τοῖς ἔμοντες σπλάγχνοις, i. e. adversus viscera mea ad pugnam me haud quaque componam. Ad quem locum vide Virum Magnificum., Godfr. Olearium, Praeceptorem nostrum summopere colendum.. Hoc imitantur quoque Latini. Cl. Marius Victor in epistola de perverbis suis ætatis moribus v. 5.

Hic habitat tuus ille hospes, mea viscera, Thesbon.

Salvianus epist. 1. p. 377. ad Massilienses suos scribens, his verbis adolescentem quandam iis commendat: *Suscipite, quæso, hunc, ut mea viscera, & quantum in vobis est, vestra.* In quibus verbis manifesta imitatio est Pauli. Et hæc significatio loco præsenti potest applicari. Potest tamen etiam alia heic locum habere, ubi liberi hac voce designantur, quod non insolens est Græcis pariterque Romanis scriptoribus. Artemidorus Oneirocrit. 1. 46. pag. 40: οἱ παῦδες σπλάγχνος λέγονται ὡς ἐντόδιε, i. e. liberi vocantur viscera velut etiam interanea: idem ibid. plura. Lactantius 6. 20. 21. non posunt innocentes existimari, qui viscera sua in prædam canibus objiciunt, ubi viscera notat liberos. Statius Thebaid. 7. 521:

sua credite matri

Viscera: ubi vide C. Barthium, & Jo. Pricum ad Pauli loc. cit. Et hæc sententia nostra præsenti in loco confirmari quoque potest ex verbis antecedentibus v. 10. ubi manifeste ait: *παρακαλῶ σε περὶ τῆς ἑλεύθερης τέκνου, ὃν ἐγένυνος ἐν τοῖς δεσμοῖς μου, Ὄντος μου.* Adhortor re de filio meo Onesimo, quem in vinculis meis genui. Aliquando pro summo amore & misericordia sumitur, ut Lucae 1. 78. διὸ σπλάγχνα ἑλέες θεός, per viscera misericordie Dei, ubi videtur circumscribere vocem ἑλέως, quemadmodum Colossi 3. 12. vox οἰκτιγμῶν additur, & Philipp. 2. 1. per particulam καὶ connectitur vocabulum οἰκτιγμοί. Hic vero significatus vis in profanis græcorum scriptis

occur-

occurret, latinis est paullo frequentior. Statius Silv. 3. 5. 28. ad Clau-
diam uxorem:

ter me nitidas Albana ferentem
Dona comas, sanctoque indutum Cesaris auro
Visceribus complexa tuis:
ubi viscera notant intimum affectum, quod notat Barthius ad h. l.
& ad Thebaid. 9. 712. Paullinus Petrocorius de vita Martini 4. 489.
de Ecclesia Dei :

Sponsa Dei totum rapiens ad viscera mundum.

Joannes Saresberiensis Policr. 8. 13. pag. 523. Effundit quidem in-
hospiites viscera sua, sed memor efficii, si discretus est, ad turpia non
compellit. Idem 8. 15. pag. 533. liberalitas effundit viscera, id est,
proprium largitur affectum. Addo Sulpitium Severum epist. 3. 11. &
qua Barthius notavit ad Gul. Britonem 5. 124. & 12. 338. Qui ergo
misericordiam aliis & amorem libens exhibet, ἔυτπλαχγύς dicitur
1. Petr. 3. 8. Eph. 4. 32. Contrarium vero est κλέψεων τὸ σπλαχνοῦ,
clandere viscera, quod de iis, qui nullam plane aliis exhibent mis-
ericordiam, adhibetur 1. Joann. 3. 18.

S. 10.

Restat ergo, ut paucis jam emphasin nostræ vocis indicemus,
quam Marci 8. 3. & alibi occurrentem observamus. Verba apud
Marcum sunt: σπλαγχνιζόμενος ἐπὶ τὸν ὄχλον. Vox vero ista em-
phaticæ hoc modo circumscribitur: Cor meum ardet, & omnia vi-
scera mea commoventur: sanguis fervet, & tota animi mei inten-
tione feror, ut miseriam populi esurientis respiciam. Nec pater,
nec mater in filium, nec frater erga fratrem tanto affectus esse
potest amore, quanto ego illos prosequor, qui, ut verbum meum au-
dirent, famis quoque periculum subire non recusarunt.

COROLLARIA

- 1. Χριστος 1. Joann. 2. 20. non est unctio, sed unguentum.
- 2. Ibidem v. 18. ἐγένετο ὥρα notat tempora periculosa.

¶ : o : ()

00 A 6280



5b.

WIP

q100

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

DISSE
TATIO PHIL
OLOGICA
DE
EMPHASI VERBI
ΣΠΛΑΓΧΝΙΖΟΜΑΙ,
ad Marc. VIII. 3.
QUAM
AMPLISSIMI COLLEGII PHILOSOPHICI
IN ACADEMIA LIPSIENSI
CONSENSU
P R A E S I D E
M. CHRISTIANO SCHOETTGENIO
DEFENDET
A. & R.
ANDREAS BÜTTIG
SPORBIZENS. MISN. PHILOLOG. & THEOLOG. STUDIOS.
D. XII. NOVEMBR. c 12. 1712.
LIPSIAE,
LITTERIS IMMANUELIS TITII.